



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 214. Quinam commodare possint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

commodata, habeatur *l. quamvis. ff. de precariis.* Item domus cum suppellectili, fundus cum instrumentis, intellige, si is instructus commodatus; secus si suppellex aut instrumenta à commodatario comparata) Mull. *l. c. Lit. v. Arg. l. 13. ff. h. r. §. 1. 38. §. 10.* Item restitui debet sumptibus commodatarii, Arg. *l. 5. §. 12. h. r. Bonacin. de contract. d. 1. q. 5. p. univ. n. 10. Mull. ib. 7.*

Quest. 214. Quinam commodare possunt?

Resp. commodare & commodatum recipere possunt omnes, quibus libera est de rebus suis disponendi facultas. Muller. *loc. cit. ib. 3.* potest tamen idipsum Oeconomus, cui res Ecclesie administranda committitur. Host. *in sum. h. r. num. 4. Sylv. v. commodatum. q. 2. Pirh. h. r. num. 2. in fine.* non tamen Religiosus sine licentia sui superioris. Azor. *l. 7. c. 3. Pirh. l. c.*

Quest. 215. Quænam ex commodato oriatur obligatio?

1. Resp. primò in genere: commodatum ultro citroque, sive tam ex parte recipientis quam commodantis parit obligationem. *l. 17. §. 3. ff. h. r.* Ex huius quidem parte, quòd teneatur relinquere rem commodatam tamdiu, donec usus, ad quem, & tempus, ad quod commodata finita, sublimitationibus. *præced. quæst. adjunctis.* Tenetur item ad præstandos sumptus extraordinarios & graves necessarios ad rei conservationem; V. g. ad mancipium commodatum dum ægrotat vel fugit, magnis sumptibus quaerendum & curandum; ad rem raptam ab iniquo raptore lite recuperandam &c. De Lugo. *de f. & f. d. 32. f. 2. num. 24. §. d. 8. f. 10. num. 134.* secus est de expensis ordinariis; v. g. in cibum equi, in victum & hospitium mancipii faciendi, hæ enim spectant ad commodatarium. de Lugo. *l. c.* Ex parte verò recipientis, duplex oriatur obligatio. Prior spectans ejusdem rei custodiam, altera illius restitutionem. Quod attinet ad primam, diligentiam exactissimam custodiendæ rei commodatæ præstare compellitur; nec sufficit eam diligentiam adhibere, quam suis rebus adhibet, si alius diligentius eas custodiret. ut habet *l. 1. §. 1. is quoque ff. h. r.* Ratio est, quia commodatum fit in solius commodatarii gratiam. Dum autem queritur, an teneatur facere vel permittere jacturam rei propriæ ad servandam rem commodatam; dicendum primò, non teneri res suas proprias pretiosiores exponere periculo, ut res commodatas minoris pretii salvet, modo ipse sit extra culpam. De Lugo. *l. c. d. 8. f. 2. num. 130. §. 139. §. 140.* Bonac. *de contract. d. 3. q. 1. p. 6. n. 22.* Hahn. *ad Wesenbec. h. r. n. 7.* Muller. *ad Seru. h. r. ib. 8. Lit. §.* non enim rem propriam pretiosiores commodatæ neglectâ, (dum utramque simul salvare nequit) eripiens naufragio vel incendio peccabit contra officium patrisfamilias diligentissimi; ut Muller ex Lauterb. *in Synop. tr. h. r. ib. 5.* ac sic præponete res pretiosiores proprias minùs pretiosis alienis non est contra maximam diligentiam, quæ opponitur contra culpam levissimâ. De Lugo. *l. c. n. 130.* citatis Syl. Armill. Gab. Ang. Vasq. ac dicens communem. Neque in hoc casu est ulla commodatario obligatio compensandi quicquam commodanti pro ejus re, quæ in periculo relicta, ut salvaretur res propria, perit de Lugo. *l. c. num. 140.* Mull. *l. c.* idque, etiam si commodatum fuerit in solius commodatarii utilitatem, ut de Lugo. *l. c. n. 139.* contrarium quò ad hoc postremum apud eundem *n. 131.* censente Molina, nimirum quòd quidem

preferri possint res propria pretiosiores, teneri tamen tunc commodatarium, si in ejus solius utilitatem factum, solvere rei commodata, quæ perit, valorem: secus, si cessit in solius comodantis, vel etiam utriusque utilitatem.

2. Resp. Secundo idem cum de Lugo dicendum, dum res propria sunt æquè pretiosæ ac commodatæ, contrarium iterum tenente Molin. Nimirum si commodatum factum in solius commodatarii utilitatem hunc teneri res alienas seu commodatas præferre; eò quòd cum æquali jactura teneatur rem commodatam servare; si verò cedat commodatum in utriusque vel solius comodantis utilitatem, neque teneri illum ad præferendas res commodatas, neque ad ullam earum restitutionem aut compensationem. Verùm contrarium quò ad utrumque bene probat de Lugo ex eo, quòd præferendo rem propriam, sive pretiosorem, sive æquè pretiosam rei accommodatæ; non minùs utiliter gerat negotium comodantis, quam non præferendo, dum si prætulisset rem accommodatam, permittendo perire rem suam ad salvandam illam; posset à commodante exigere valorem rei suæ deperditæ tanquam sumptus extraordinarios impenso in conservationem rei comodantis; adeoque is parem jacturam pateretur, imò majorem, si res commodatarii pretiosior fuisset deperditæ ad salvandam rem vilioris comodantis cum solvere is deberet totum valorem rei deperditæ, qui excedit valorem rei servatæ. Ac proinde jam nihil interest comodantis, sive hoc modo, nimirum sub obligatione compensandi valorem rei propriae comodatarii deperditæ servetur res sua, sive ea non servetur.

3. Resp. Tertio neque teneri in conscientia commodatarium permittente perire rem suam vilioris ad salvandam rem commodatam pretiosorem, si jactura rei propriae vilioris notabile damnum esset allatura. Idque absque eo, quòd in illo casu teneretur quicquam restituere comodanti. Ita de Lugo *l. c. n. 136.* contra Molin. *cit. d. 296.* docentem teneri commodatarium servare potius rem pretiosiores comodantis, etiam dum ea commodata in solam commodatarii vel utriusque utilitatem, ita etiam, ut si res illa vilior commodata in solius comodatarii utilitatem, is pro jactura rei suæ nihil repetere aut sibi compensare possit. Eò quòd nihil faciat, ad quòd non teneatur vi contractus & beneficii accepti, utpote ratione cujus tenetur ad rei commodatæ diligentissimam custodiam. Si tamen res commodata in solius comodantis utilitatem: possit petere valorem rei suæ vilioris perditæ, & rem comodantis servatam tamdiu retinere, donec valor ille solvatur; eò quòd nemo teneatur cum jactura rei suæ alienam servare, quando contractus non est in solam sui utilitatem, & quòd ad sumptus extraordinarios necessarios in rei conservationem teneatur is, in cujus gratiam res tradita seu commodata vel deposita. Verùm videntur prævalere rationes, quas in contrarium assert de Lugo, nimirum quòd neque diligentia maxima, ad quam tenetur commodatarius, neque contractus commodati vel etiam depositi obliget ad rem alienam custodiendam cum magno detrimento proprio, cum nec in custodiendis rebus propriis prudentissimus quisque & diligentissimus id faciat. Item quòd permisso jacturæ rerum propriarum ad servandam rem alienam necessaria, sit sumptus extraordinarius, quem comodans compensare tenetur, & quæ nemo impendere tenetur in custodiam rei alienæ, nisi